

(X2019406)

Yb
603

B. C. D!

contra

Morbos Epidemios in Scholis
Meliorum Siderum constellatione, s. conspiratione
conflata

SIGILLA - AMULETA

Hermineutica, non Hermetica,
in Majore Gymnasii Auditorio

XI. Kal. VIIIbr.

A. O. R. cl. l. c. LXXVII.

Non nulli Discipuli
producent,

Si quis interesse
velit,

Presentibus

humanissime invitatur

à

M. ANDREA Beyern G. R.

Typis Zachar. Beckers.





Ptandum quidem esset, ut tam præclarè cum rebus humanis ageretur, ut meliora potiore obtinerent locum, minus pravitatis existeret, minusq; vitiorum frequentareretur. Sed, uti meus in hoc Athenæo Antecessor CL. Schellenbergius (a) jam ante septuaginta annos scripsit, ubi tanta est agri bonitas, ut ibi segetes fœcundæ non frugibus herbas effundant inimicas? ubi vitia virtutibus non sunt fortiora? ubi adeo severe, integreque reguntur scholæ, (imo Civitates, & Republicæ) ut ibi nihil perverſi, nihi, corrupti, nihil pravi inveniatur? ubi tam castigata est disciplina, ut ibi penitus nihil loci sit malitiæ & improbitati? in Utopia fortasse? sed ibi quærant, qui omnia ad amissim facta volunt. (b) Esse, ubi & quamdiu homines sunt, vitia in Rebuspubl. qui ad clavum ejus sedent, & in scholis ubi vis fere gentium experiuntur, imprimis hoc ulceroso seculo, inq; mundi fecibus, quicuncq; saxum nobiscum volvunt simile. Quamquam enim agricolas imitati arva à noxiis herbis purgaturos, adversus extremam morum everſionem omnia tentemus; nunc quæ ad tradendarum artium rationem faciunt, institutores dispiciamus, nunc quæ ad mores formandos pertinent, constituamus; modo effrenatam licentiam in gyrum rationis ducamus, modo ignaviam extimulemus, & veternum excutiamus, luxuriam increpemus, contumaciam infringamus, levitatem arguamus, cupiditatem efferatam comprimamus, libidinem traducamus, impudentiam in ruborem demus, nequitiam exuberantem verbis simul & verberibus, imo carceribus excipiamus, deploratam eliminemus, fastuosum supercilium demamus, inscitiam exagitemus, peiores ad frugem revocemus &c. nec tamen averrunci omnia segetum vitia tollere, omniumq; scelerum sentinam exhaurire; nec Herculeis laboribus Augiæ stabulum adeo purgare, quin *περικλῆς λυτρὸν περιγυνομένους*; nec Stymphalidas abigere tanto possumus strepitu, quin *βωμολοχῆς* adhuc deprehen-

(a) in Dedicacione Informatorii.

(b) eâ de causâ nullamquam aliquam, quasi nunc rediissent Saturnia regna
Ecl. 4. v. 6.

prehendant δαδῆχοι juxta ac Mithragyrta, ἢ καὶ ἀπὸ τῶν ἰατρῶν, ut Poëta-
rum princeps canit,

Ὅσων ἔννεάχιλοι ἐπὶ αὐχὸν ἢ δεκάχιλοι

Ἄνδρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ζυνάγουτες ἄρηθ.

sed Acesias medicatus est. Anceps prætereâ curatio est, si, quod
multi jubent & faciunt, ad vivum resecetur. Nec placet aliis, quod
Romanæ juventutis & Eloquentiæ doctor simili in negotio svadet,
(c) *Quintilianus*, quum jubet ut quæ alioquin sunt natura aspera,
leni & molli manu leniantur, aut vulnus tractim tangatur. Quod er-
go remedium nunc huic malo excogitetur? quæ tandem Φάρμακα
σωτήρια? An ab Æsculapio per somnium præscribi, aut peti possunt
ex Arabum delirantium monumentis Libroq; qui celebris est in-
ter ipsos, Sigillorum, & Amuletorum, Margarita dicto, ubi varia,
deliramenta ne dicam, an medicamenta, contra omnis generis
morbos, etiam desperatos, reperiri esse dicit πολυίσως *Kircherus*. (d)
Sed hæc Diaboli sunt ἐνεήματα. Nec hilo meliora sunt *Bombasti il-
lius infernalis, Theophrasti*, (e) quæ itidem contra desperatos & alios
morbos ac vulnera longo ordine recenset Tomo secundo, *Archi-
doxeos magicæ* Libro. Verum, cum omnes omnia sua consilia con-
ferant, atq; huic malo salutem quærant, auxilii vero nihil adfe-
rant, quid si quis *Heinrici Cornelii Agrippæ Sigilla*, num remedio esse
possint, ex consilio *Scelerati Politici*, (f) experiatur? plures sanè
egregie videmus sic proficere, plures non amplius Æsculapio, sed
istis suis veraculis & pentaculis gallum debere, Martis pullos alis
aquilinis ad sidera usq; vehi, Joves humanos potiri imperio, Vene-
ris vero nepotulos suis amasiis placere, Solis instructos Sigillo pro-
lubitu omnia, divitias, gratiam & benevolentiam impetrare, con-
ciliatis dissidentium animis ornari honoribus, supra tribunatus,

)0(2

præ-

(c) l. 2. c. 4.

(d) vid. part. 1. p. 394. Tom. II. Oedip. Ægypt. & pluribus aliis Locis simul.
vid. Hotting. de Num Orient. p. 169. sqq. attingunt Sigilla ad Horo-
scopum sculpta Zabæorum Tilsemas, Ebræorum Teraphim, Ægypti-
orum Serapes, Horos s. Harpocrates & Isis imagunculas. v. Gryphius
Mum. Wratisl. p. 52. Hott. Hist: Orient. p. 285. sqq. 296. sq.

(e) Tom. II, Edit: Argentinensis Germanicæ à p. 646. usq; ad p. 564.

(f) cap. 4. Edit. Noriberg. à Pellerio edit p. 26. sqq.

præturas & consulatus ascendere, & in cœlum abire, aliisque frui felicitatibus, quas orci fastidium illud promittit perverissimo de *Occulta Philosophia*, & imprimis libro quarto, (g) quo solo, (ut taceam reliqua fere multa Magiæ genera, quæ multis etiamnum, ut videri volunt, piissimis sunt in deliciis,) continetur *universa Theurgia, sacris infernalibus operata, picti characteres, nota, figura, litura, spiræ, circuli è planetarum positu & concursu deducti, descripta precula, adjurationes, cantica, sacrificia in honorem Saturni, aliorumque*, quos refert plurimorum sive Planetarum vel geniorum, verius diabolorum, tales enim gentium eiusdemque furfuris sunt Dii, effato divino Ps. XCVI. v. 5. *Apate Orci inventa, ejusmodi gentilium deliramenta & imitamenta, geniorum* $\omega\mu\pi\epsilon\delta\rho\omega\nu$ *sacramenta, veracula, à Plutone inventas notis Magicis, sub certa constellatione fusas insculptas, factasque Laminas, quas Teraphim vocabant Chaldæi cum Syris, Sacræ (b) verò literæ tribuunt Idolorum cultoribus, Planetariis, Magis, & non nisi ab ipsorum æmulis in pretio habentur. Sed quò deteriores (i) sunt Astrologicis (k) fati & vaticiniis, (quæ tamen pia antiquitas Vatinianò profecuta semper est odiò,) & sagarum artibus propiores; eò longius à Christianis abesse debent, quippe præceptis divinis è diametro contrariæ, pectoris à vero Deo*

verti-
(g) qui in Lugdunensi Operum omnium Editione nuperrima à p. 426. usque ad 477. continetur. vide CL. Kipping qui invehitur in hoc hominū & idolorum genus in Auctariis ad Epitomen Pappi Historiæ Ecclest: p. 153 sqq. ubi longo ordine Autores recenset, qui hac de materia scripserunt. egit de iisdem quoque idolis, qui de omnibus Orientalium, CL. Seldenus de Diis Syris p. 96. sqq. & nos in supplemento ad illum. adi porro Kipp: Recensu Antiquitatum p. 88. sqq. & quos ibidem iterum citat Autores.

(b) Gen. XXXI. 19. Jud. XII. 18. Hof. IV. 3.

(i) demus Harmoniam in triplici regno: influxum quoque Astrorum in hæc inferiora. Sed Astra ita agere in Metalla, ut denuo hæc in homines agant, & quod majus est, in voluntatem, & iterum in alios homines &c. fortasse credit Judæus Apella. notum quoque quantitatis nullam esse efficaciam. quid ergo sibi volunt isti characteres, numeri &c?

(k) Laude dignissima profecto hæc ars, ut omnes Mathematicæ, si limites non egreditur. de egressa v. hęc agitur, & ab Ott. Casmanno Astrol. part. II. à cap. 8. & p. 221. usque ad finem. Philip. Caroli in Not. p. 515. sqq. & innumeris aliis.

verticordia, pietatis impedimenta, & dehonestamenta, irritamenta
ta malorum, paucis, tacita idola, quibus diffessi & jurati contrari-
um, tamen *ἀνασθηλωσ*, fidunt, sed aliquando hisce ficulneis funda-
mentis percunt. Facebant igitur cum idolomania sua improbi ho-
mines, quicumque iis delectantur, in morboniam abeant, cum pessi-
ma merce, *Sigillis & Planetis* in simili casu & causa. Tantum enim
abest, ut medicentur huic malo, ut contra quasi malos genios, si qui
credendi essent, introduxisse posses dicere, virtutum loco, diluvi-
um vitiorum, ad cujuslibet genium eorum, ut patroni describunt,
quasi factorum. Ad quem enim quæso inexterminabilem pestem,
Ignaviam puto, in scholis referas, quam ad *Somnulentum*, ut fin-
gunt, *Saturnum*? Unde *animus* præmaturè elatus, nisi à *Jove*, si ipso-
rum vaniloquiis credamus? unde *rixæ & noctuambulones*, nisi à
Marte? unde *Luxuria*, nisi à *Venere*? *mendacia*, nisi à *furum patrono*
Mercurio? Ad *Solem verbi divini* contemptum: & ad *Lunam* humo-
rum dominam, qui in popinis, perbibesiâ Comedoniâ & Perediâ
sunt, sacra facientes *Gansivoro Divo mustibiboque Deo*.
adeoque *vitia* quæque ad *suos Autores* referre licebit *planetas*, (verius
ad *Diabolum*), sat gravia & scholis eheu, inimica, & perpetuas in-
colas. Enimvero nescio quâ constellatione, certe conspiratione
perniciosissimâ miserè hæc vitia non nostram modò; sed fere o-
mnes affligunt Spiritus S. officinas, licet, ut exterminarentur, à do-
ctis nullis parsum est vigiliis, nullis verbis & verberibus, & quic-
quid cöercendis istis malis averruncandisque præscriptum est reme-
dii, quousque spes fuit sanæ recuperandæ mentis; ubi vero & hanc
decollare visum est, resectum fuit putridum membrum, ne totum
inficeretur corpus, certe hoc in loco, teste Deo, conscientia, &
conscientiosioribus quibuslibet. (1) Nihil datum præterea favori
aut invidiæ, nihil factum quoad ejus fieri potuit in tot & tantis,
tamque variis negotiis incogitantia, aut nimia animi præcipitantia.
Dico nimiam. Ecquis enim omnibus horis sapit? vel non justissimâ
exardeat irâ, cum tot delicta vel toties ab incautâ juventute, vel ab

10(3

im-

(1) quicquid dicunt homines Plautinæ familiæ, καὶ ἀχαλίνῃ σόματι, qui
πλευρὸν ποιεῖν Præceptorem non verentur omni vacantem culpâ, ipsi
affectuum & ignaviæ mancipia,

imperitō, aut certe non satis doctō vulgo repetuntur, à lividis iusto
altius exaggerantur vel attenuantur, vel præter meritum non sine
convitiis præceptorib⁹ eorumq; negligentia imputantur, vel à cen-
soribus sine suffragiis electis exagitantur? Notum est illud tersissi-
mæ Latinitatis autoris: (m) pudore ac liberalitate retinere satius esse,
quam metu. Felicissimam (n) esse ac pulcherrimam puertia regen-
dæ rationem, quæ mansuetudine atq; humanitate juveniles impe-
tus vinculo quodam amabili cohibet. Sed non licet semper ita esse
felici præceptori, vel per improvidam juventutem, vel lividum
multorum, qui quod in tergo est manticae non vident, ictum; vel,
quod multi nimium Sapiendo faciant, ut nihil intelligant, præser-
tim in re, quam ignorant cum ignarissimis, & ne primoribus qui-
dem labris gustarunt. Ego, ex quo hoc Saxum volvi satis mole-
stum, in animum induxi meum, ingenuam & liberalem institutio-
nem quandam esse generationis divinae speciem, & inde præcepto-
ris me rectè non posse officio fungi, nisi animum & adfectum pa-
rentis ergo eos, quos edoceam, induero, (vasore *Edmundo Richerio*,
(o) qui: Si Hannibal, inquit, Carthaginensium dux, (quanquam
ex nationibus, moribus & lingvis differentibus ingentem exerci-
tum conflavisset,) suâ prudentia consecutus est, ut nullus unquam
tumultus in castris suis nasceretur: hoc multo erit præceptori opti-
mo expeditius; si provinciam suam prudenter gerere voluerit:
Si frequens & assiduus in officio fuerit: si potius ratione, quam
impetu; iustâ clementia, quam animi calore aut iracundiâ, disci-
pulos suos instituerit, quo nihil juventuti potest accidere pericu-
losius, & quo in bonarum artium ac disciplinae scholasticae odium
citius adolescentes deveniant. Quare institutio omnis instar libræ
Horologii, modulatè & æquabiliter, non furenter & importunè,
debet

(m) Terentii Adelph. Act. I. sc. I.

(n) verba sunt rei scholasticae & regundæ scholæ peritissimi Eliæ Majoris,
quæ legere licet Orat. I. de Præceptorum Officiis p. 23. ubi paulo ante
dixerat. licet à Pæna non debet immunis esse is, qui animadversione di-
gna de signavit facinora, magna tamen & accurata hîc, plurimas ob cau-
sas ac circumstantias cautio requiritur.

(o) obsterice animorum, sive libro accuratissimè de Educatione & infor-
matione puerorum scripto p. 63.

debet currere. Unde *Fabius* nihil tantopere in magistris, quam *moderationem animi, fidem, diligentiam, prudentiamq, magnam* exoptabat, quæ virtutes plus solent discipulis conferre, quam omnes omnium doctissimorum artes. Nec nunc muto sententiam, persuasus, id esse verissimum, & debere præceptorem ac magistrum æmulari Deum, (quicquid alijs videatur) i.e. mala & vitia extirpare, non homines, hos punire, sed non perdere, in medio iræ recordari clementiæ. Officii meminisse, sed non dememinisse fragilitatis, quæ toties labimur omnes. Justitiæ vigorem attendere, sed non rigorem, (p) præterea probe esse expendendum; Mitti ad nos non uno ex loco, & nos quoq; alere sobolem moribus & artibus non instructam, sed instruendam, ceream in vitium flecti, inescari adhuc voluptatum illecebris, invitariq; ad nequitiam plus simplice vice. Liberalia ex eadem ingenia esse liberaliter habenda, non mancipiorum in morem; esse corrigenda, sed non ad desperationem adigenda, esse castiganda, non enecanda, monitu Regum Sapientissimi, Prov. XIII. v. 18. Præstare deniq; aliquam Rempublicam, quam nullam, habere medicorē, ubi optima (quod vix aureū, nedum licentioso hoc seculo sperare est,) haberi non potest. Dispersam esse per totum civitatis corpus, non claustris contentam Juventutem scholasticam, neq; Argum, quæ concredita habet, adeo accuratè custodire, nec Lynceum posse tam acutum cernere, ut omnia deprehendat. Sæpius, quæ in sinu foventur, & amplexibus, fallunt diligentiam & custodiam, quid non dispersam facere credas posse tot hominum tam variè ingeniatorum multitudinem, (q) hinc irritamentis malorum & seculi expositam, illie vel tot *ιαυβηλοισι καὶ σεννέσι*, quasi *σεννία* celebrarentur, *Βοάροι*, vel alba amussi remmetientibus irritatam? Interea fidelis ejusdem formator facit,

quod

(p) quo tantum abest, ut, delinquentes faciamus meliores, ut potius fiant, è pejoribus pessimi, & qui justi audiri cupiebamus, habeamur iniquissimi.

(q) qualis hætenus hinc fuit, sed nescio cujus culpa. (certe non meâ) indies decrementum patitur, properantibus plurimis vel ad majorum gentium, vel alias scholas, vel etiam ad plures, tanto numero, ut nondum integro dimidio anno plusquam 24. diminutus sit cœtus discipulis superiorum ordinum.

7.
quod eum facere oportet, nosq; fecisse in limine diximus, & nunc iterum, facimus, laudem strenuis, correctionem pravis, exemplum omnibus ostendentes, nihilq; magis in votis habentes, quam ut officina hæc literaria, veluti ante fuit, sit florentissima, & ad posteros transeat hæc gloria. Quod si nostros conatus nostraq; vota eventus vel morbi malignitas frustratur, & nihil proficimus, quid refert? Magistratus quoq; in Civitate, imo ipse Cæsar ordinationibus suis excidit sine suo scæpissimè. Instandum, non desperandum, obviandum vitiis, prout conamur Actu Oratorio, quo fatalia scholis vitia extirpatum imus, sistentes ex Discipulis publicè Oratores Cras D. D. q's Amuleta pectori expendenda, non appendenda; hermineutica, non hermetica ferentes, ut Condiscipulos abstrahant & quidem

1. de Ignavia.

Ebraicè Christophorus Richter / Freib. &
Latinè Joh. Ernst Klem / Tzchop.

2. de Superbia.

Lat. Poëticè Friedrich Otto Mittvveid.

3. de Nocturnis turbis.

Lat. Nathanaël Hauß Glaucha-Osterland.

4. de verbi divini Contemptu.

Lat. Daniel Schulz / Bernav. Marchicus.

5. de Luxuria.

Lat. Friedrich Schwencke / Wetteravus,

6. de Mendaciis.

Lat. Jacob Daniel Starcke / Fr.

7. de Ebriositate.

Chaldaicè George Gottfr. Benewitz / Spansberg. Misn.

Græcè Poëticè Paul Balthasar Röber / Ortrand.

Lat. Jacob Göttner / Freib. in specie de Fraudulentiâ,

præmissio Prologo disserente

Latinè, Paul Gottfr. Röbern, Fr,

& addito Epilogo

Latinè Carl Christoff Lothio,

Dicent omnes breviter utinam feliciter & hac Emphasi, ut impofterum nihil tale audiatur in ulla schola. Si quis audire velit, præsentibus invitatur,

& hujus benevolentia loco promittitur, quicquid vel ab Oratoribus hi-

scæ vel nobis expectari potest. Freibergæ XII. Kal. VIII. br.

A. O. R. c. l. s. LXXVII.

F I N I S.

W 77 A 1

Q.K. 514,16.

Meliorum

Morl

SIGIL

Hermin

in Ma

A

M.

olis

iratione

ETA

etica,

orio

Yb
603

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(8AALE)

